



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Epiphania Domini. 6. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

stulata erubuit, qui membris suis captus promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum Rege uteretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad aram portavit, stipemque divitem sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cum adesset, conspicuus ei ab arâ bene precatus est Christus. Quidvis amore D. Joannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negasse. Hanc ille religionem præclare obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulū Regi remisit, simul de mortis horâ commonuit; quem nuncium ille toto mox regno vulgavit, quò preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cæli iter ingressus est, anno post Virginis partum M. LXVI. & quia nullam corpus animo virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem aspersit.

Ex Surio.

Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium indumentorum coram Domini arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Just. lib. I. de Humilitate.

EPIPHANIA DOMINI. 6. Januarii.

Salutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principē suum cælo delapsi cives, aulamque nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed & orcus rebellis hucusq; metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum

suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti Magi magnis itineribus Bethlemium contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter se Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinẽ, necesse, orbasque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus dolos dolis texit, &, ut noceret, amare se finxit, ut perimeret adoraturum se hostem eriam ipse promisit. Subhæc à Magis, sifidere iterum anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi confidens stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Ex templo ingrediuntur, Regumque Regem in throno suo præsepi, sapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam aliam in regna avita dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantẽ Herodẽ delusit. *Ex hist. Evang.*

Sicut Magi de thesauris suis Mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. S. Leo f. 2. de Epiph.

S. ANDREAS CORSINUS.

6. Januarii.

ANDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cum illi prius eundem ex voto necdum natum eidem donassent. Videbatur

B 2

sib